

XVI

AD MAECENATEM

Asclepiadeo-Glyconicus

Inclūsam Danaēn turris aēnea,
Rōbustaeque forēs, et vigilum canum
Trīstēs excubiae mūnierant satis
Nocturnīs ab adulterīs,

Sī nōn Ācrisium, virginis abditae
Cūstōdem pavidum, Iuppiter et Venus
Rīsissent : fore enim tūtum iter et patēns,
Conversō in pretium deō.

Aurum per mediōs ire satellitēs,
Et perrumpere amat saxa, potentius
Ictū fulmineō : concidit auguris
Argīvī domus, ob lucrum

Dēmersa exitiō : diffidit urbium
Portās vir Macedō, et subruit aemulōs
Rēgēs mūneribus : mūnera nāvium
Saevōs illaqueant ducēs.

Crēscentem sequitur cūra pecūniam,
Māiōrumque famēs : iūre perhorruī
Lātē cōspicuum tollere verticem,
Maecēnās, equitum decus.

Quantō quisque sibī plūra negāverit,
Ab dīs plūra feret ; nīl cupientium
Nūdus castra petō ; et trānsfuga dīvitum
Partēs relinquere gestiō,

Contemptae dominus splendidior reī,
Quam sī, quicquid arat impiger Āpulus,
Occultāre meīs dīcerer horreīs,
Magnās inter opēs inops.

Pūrae rīvus aquae, silvaque iūgerum
Paucōrum, et segetis certa fidēs meae
Fulgentem imperiō fertilis Āfricae
Fallit, sorte beātior.

Quamquam nec Calabriae mella ferunt apēs,
Nec Laestrýgoniā Bacchus in amphorā
Languēscit mihi, nec pingua Gallicīs
Crēscunt vellera pāscuīs,

Importūna tamen pauperiēs abest ;
Nec, sī plūra velim, tū dare dēnegēs.
Contractō melius parva cupīdine
Vectīgālia porrigam,

Quam sī Mygdoniīs rēgnum Alyatteī
Campīs continuem. Multa petentibus
Dēsunt multa. Bene est, cuī deus obtulit
Parcā, quod satis est, manū.